


  
2386



2 3  
HYMNI DE  
CASTIS AN-  
GELIS, FACTI

A

2438  
IACOBO GERL  
CO QVELLENBVR-  
GENSI.



MAGDEBURGI  
EXCVDEBAT ANDRE-  
AS GEHEN, ANNO  
1579.

X

FRANCISCA

DE

OPERA

A

JACOBO GERR

CO. OVELLENER

GENSI



MAGISTER

FRANCISCA ANDRE

22 GENN. ANNO

1779

AMPLISSIMIS,  
PRUDENTISSIMIS ET  
VIGILANTISSIMIS VIRIS, PIE-  
tate & eruditione præstantibus, D. Consuli-  
bus, Prætori, Camerarijs adeoq; totius or-  
dinis Senatorij membris Urbis Bern-  
burgi, Dominis & Patronis suis  
reuerenter colendis.

**S**ALVS à Christo Iesu. Ver-  
santi mihi, viri amplissimi,  
prudentissimi & vigilan-  
tissimi, in collectione quo-  
rundam carminum meorum He-  
roicorum certo consilio publican-  
dorū, occurrit pars illa, in qua, quos  
de Angelis eorumq; vigilantis mini-  
sterio & amplissimis beneficijs fece-  
rā, complexus sum hymnos. Cū au-  
tem & illa pia deuotione pro ratio-  
ne temporis, à me animo concepta,  
& in DEI laudem gratiarumq; acti-  
onem pro circumfufis satellitibus,  
A 2 admitt.

administratorijs spiritibus contex-  
ta non abs re me facere arbitra-  
bar si & illa, ipsa qualiacunq; sint,  
vel vt quibusdam videbitur etiam  
leuidensia, reliquis meis Poëticijs  
laboribus adijcerem. Cum autem  
de patrono rectè hæc cui crederem  
cogitarem, incidit in mentem quæ  
singularis beneuolentiæ manifestæ  
significationes, nomine amplissimi  
Senatus vestri in Repub. vestra iam  
ante cum mihi tum meis sint exhi-  
bitæ. Quorum beneficiorum com-  
memorationem sciens volensque  
iam prætereo, non quod eorū nul-  
la apud me memoria sit reliqua, sed  
quod vitare potius omnem adula-  
tionis speciem cupiam.

Vt autem facto ipso testarer  
memori hæere animo beneuolen-  
tiæ vestræ declarationes, hos quales-  
cunq;

cunq; sint nominibus vestris hym-  
nos dedico, maioremq; in modum  
peto, vt hoc quaecunq; debitæ  
gratitudinis symbolum beneuolo  
accipiatis animo. Ecclesiæ & Rei-  
pub. vestræ Dei benedictionem &  
infinita in hac commoda corporis  
& animæ precor, studiaq; & officia  
mea quamuis exigua offero, & vt  
vestra erga me meosq; beneuolen-  
tia sit diuturna, DEVM pacis &  
coniunctionis effusis interpellabo  
precibus. . . Data ex veteri Gater-  
libio properanti calamo & rudi  
quod aiunt Minerua. 25. Martij,  
die quo DEVS Creator generis hu-  
mani afflictionem populi sui respe-  
xit & redemptionem misit, & in  
ara crucis, cuius typus fuit sacrifi-  
cium Abrahæ immolaturi man-  
dato DEI filium Isaac, pro peccatis

A 3                      toti-

totius generis proclamans ipse con-  
sumationem satisfecit. ANNO  
CHRISTI M. D. LXXIX.

V. A.

Deditissimus

Iacobus Gericus,  
Quellenb.



HVMNVS



# HYMNVS DE CASTIS AN- GELIS.

**I**AM quia festa dies agitur, qua maximus heros  
Interpres Michaël rerum, sensusq; potentis,  
Carminibusq; sonisq; solet per templa per aras  
Laudari innumeris, nilq; exorantia diuos  
Iam dare thura solent, arisq; imponere honorem:  
Christe iuuat tenui contexere carmine laudes  
Angelicas, placeant gratæ tibi symbola mentis.  
Alliciunt castas memoris præconia linguæ  
Excubias, armant per sese in prælia pronas.  
Ergo age ne quisquam foedis hanc polluat ausis  
Optatam lucem, procul hinc, procul, este prophani.  
Nunc indulgendum sacris, nunc pectore puro,  
Et puris opus est animis, nunc vincere motus,  
Et frenare decet sensus, ne turpibus ausis  
Aethereum auxilium fugiamus corporis vltro.  
At qui Pierias nati super estis in artes,  
Hæc mecum festi solennia sacra fauentes  
Et mundis animis celebrate, poliq; cohortes  
Laudibus emeritis ornate, decusq; referte.  
At tu nate Dei, veri substantia patris,  
Viribus æqualis patri, tu suggere vires:  
Vt quas iam cupio laudes proferre sub aras

Pro meritis possim, tibi deuotosq; ministros  
Iam mea Musa canet, strepit anser ut inter olores.  
Tu bonus ignosces, si non conspersa lepore  
Verba fluunt, si non respondent omnia votis.  
Principio Angelicæ num sint super æthera turbæ  
Expeditam, vel non, Nam multos deuius error  
Ducit in hunc sensum, nullos habitare colonos  
Ætheris immensi tractus, dominantur olympo  
Vel si qui, nihil, aut paulum differre caduco  
Osse viri, verum esse viros mortalibus ortos.  
Hos contra quid sit bonus Angelus ordine dicam,  
Quasue agitet partes tenui compræhendere versu  
Mens ouat, incepto vos aspirate Camæne.  
Quod sint angelici cœli super arua ministri,  
Nil prius aut melius quam sacra volumina diui  
Confirmare valet verbi, Sic cœlicus heros  
Psalmographus dicit, mandata tulisse ministris  
Cœlicolis Dominum ( Dominum super omnia Regem. )  
Ut nos in statione data Vulcania contra  
Tela dolosq; tegant, Stygiasq; à vertice flammæ  
Depellant, seruentq; pios, & robora præstent.  
Scimus & hinc maior quod multos viderit ætas  
Assumptis hominum formis vel læta canentes  
Nuncia, vel vafri retegentes Dæmonis æstus.  
Sic vbi de sacro pater est decedere luco  
Iussus Adam, crimen propter, terramq; colendam.  
Cura DEI tribuit, Cherubin custodia cessit  
Diuini nemoris, chorus hic delapsus olympo,

Dulcia

Dulcibus impleuit totum concentibus orbem,  
Sic vbi diuinum terrent insomnia Iacob,  
Angelicæ vidit plures descendere turmas  
Innixas gradibus conscendere coelica rursus.  
Plurima præterea se conspicienda dedere  
Agmina, sic Mariam diuina voce salutat  
Angelus, atq; refert quod sit paritura tonantis  
Progeniem, magni verum Iouis incrementum.  
Progeniem eum patre parem, super omnia, magnam,  
Cui cum patre manet vis vna, eademq; potestas,  
Nec minor est annis patre, nec præcedit eundem,  
Ille coæternus sed viuit, & vna gubernat.  
Spem facit & sobolis patri diuine Iohannes  
Angelus ipse tuo, solennia quando parabat  
Sacra Deo. Sic læta canit pastoribus idem  
Angelus, vt cælo soboles demissa beato  
Sit noua, quæ mortale genus sub mole laborum  
Sat pressum eriperet, raptumq; Acherontis ab vndis  
Mitteret ad superos, vbi viua luce fruatur.  
Angelus atq; docet Ioseph, ne lege maritam  
Iam sibi desponsam certa, quia numinis aura,  
Viq; operante Dei grauidi fert pondera ventris,  
Relinquat, rupisse putet seu fœdus amoris.  
Admonet in somno sic angelus atq; Iosephum,  
Multiplices casus facilis multumq; pericli  
Vt subeat, Nilumq; petat, secumq; puellum  
Abducat natum, cum perdere quærat acerbus  
Herodes, pueris Iudæa in gente nociuus.

Vnius ob causam qui tot det millia letho,  
Sæuiat in pueros cum diræ fraudis inertes.  
Sunt ergo coeli ciues diuiq; ministri,  
Sunt inquam, deserta poli spacia ampla nec extant.  
Qui, quales, verum, quibus & sint viribus aucti,  
Exequar, hæc nostri fuerit pars altera coepti.  
Angelus, humani custos, essentia viua est,  
Spiritualis, & orta Deo, Dei imaginis instar,  
Libera, iusta, data primo ratione decora.  
Non caro, non moles quædam ( nam spiritus ossa  
Nec carnes habet ) humani ex qua corporis ossa  
Formentur, nec naturæ confinia nostræ  
Sustinet, alteriusque ( anima est ceu corporis huius  
Pars quædam ) qui non mortali lege tenetur,  
Immortalis agit, nullus quem terminus æui  
Excipit angustus, per at omnia secula durat,  
Lumine conspicuus viuo, videt esse supremi  
Perpetuo, celebratq; Dei miracula magni,  
Et custos hominum data tempora transigit æui.  
Sunt duo præcipui fines, quos condita propter  
Turba ministrorum bona, quæ coelestibus aruis  
Insidet, atq; Deo gratum Pæana recenset,  
Quæ primis veluti labris tetigere Camænæ,  
Firmius vt tamen hi maneant in pectore sensus,  
Altius hæc repetens nonnulla prioribus addam.

Prima sed æthereos cur fecerit arte ministros  
Ipse Deus, ratio est, supremi gloria patris.  
Non sunt in Venerem, vetitosq; cupidinis vsus,

AUG

Aut operas facti, causa est præstantior ortus :  
Scilicet vt nitidi coeli decora alta sonarent,  
Diuinasq; operas, nostriq; autoris honores :  
Sancte Deus, sancta qui maiestate coruscas,  
Cuncta repleta tuæ sunt maiestatis honore,  
Gloria sancte tibi, sit gloria sancte tuoq;  
Vnigeno nato, sit gloria numinis auræ.  
In vestra trina vos maiestate manetis  
Vniti, vestrum est vnum subsistere tantum.  
Vere Deus, verus veri seruator & autor,  
Iuste Deus iusti iuris, iustissime Iudex.  
Omnipotens & qui casus misereris acerbos.  
Hæc & plura canunt, quibus æthera cantibus implent :  
Condita præterea narrant spectacula rerum.  
Proximus hinc labor est, ad quem gens incola coeli,  
Dissociata locis, concordi in pace ligata est :  
Vt genus humanum ditis deliria contra  
Seruaret, superas olim quo euadere ad arces  
Possit, & inferni lucos, regna inuia iustis,  
Euitare queat, vel corpora, retia tendit  
Plurima queis Sathanas, odijs adductus iniquis,  
Defendat, ne quo miseris illudere possit.  
Cernimus vt varijs hæc sint obiecta procellis  
Corpora nostra, mouent Stygij quas robora regni.  
Has contra pedicas, hæc magna pericula contra,  
Ni nos aligerum genus & sine corpore mentes  
Aethereæ, proni seruarent, vna vel hora  
Sorberet quæcunq; regit vix spiritus ossa.

Sic

Sic fitit humani generis Stygis ira ruinam,  
Nescio queis odijs vel quo succensus honore.  
Has ast à nobis Stygias auertere vires,  
Cœlica sufficiunt solum patris arma potentis.  
Millia quam centum furiarum est fortior vnus  
Angelus, harum omnes solus scit frangere vires :  
Nunc exempla canam, quod cœlica turba ministret  
Corporibus nostris, & munera iussa faceffat.  
O mihi iam faciles si sint in carmine Musæ,  
Cœlicolæ facerem miracula nota cohortis,  
Qua seruent cura miseros, quam fortiter obstant  
Illecebris, technisq; Stygis, varioq; Draconi,  
Vt Deus ingentes Sodomæ decreuerat vrbes,  
Ob scelus innumerum, flammis cœlestibus actis  
Perdere, & insignes euertere funditus vrbes :  
(Addictæ Veneris studijs, hominumq; Deiq;  
Oblitæ, sceleriq; datæ, peccata fouebant  
Publica, nec Pœnam statuebant criminis vllam )  
Ecce tamen curam Lothi gerit ipse ministri  
Altitonans, seruatq; pium : Nam nubila tranant  
Atq; adeunt terram duo lumina viuida cœli,  
Atq; virum qui thura dabat, precibusq; diurnis  
Numina placabat, contra omnia tela tuentur.  
Sic cum Sara viro, steriles quia degeret annos,  
Concedit famulam, socio & coniungit amore  
Hagar, vt hæc illi det plurima pignora lecti.  
Quæ concepit vbi damnasa superbia mentem  
Intrat & haud Dominam merito dignatur honore.

Tharida

Thariadis coniunx ergo quia ludere sentit  
Se famulam, cui iam permiserat omnia lecti  
Iura maritalis, procul à se reijcit Hagar,  
Pluribus affligitq; malis, quæ tanta ferendo  
Cum non sufficeret, Domine subduxit ocellis  
Anxia at hæc animi ad viui confederat umbras  
Fontis, & alternans, quas sit subitura sub oras,  
Submissis numen precibus veneratur olympi,  
At Deus incassum qui non vult voce vocari,  
Qui non ulterius quam sustinuisse valemus  
Aggrauat, atq; subit per vota precesq; citatus,  
( Differat ille licet, moræ id vbertate rependit )  
Et succurrit Hagar sub iusta temporis hora,  
Eiulat vt casumq; dolet, veniamq; precatur,  
Protinus in terris, cœlo delapsus ab alto,  
Constitit humana lustrandus luce minister  
Aethereus, causasq; viæ causasq; doloris  
Quærit, & optatam quam iam conscendat ad urbem,  
Illa sed ingreditur dictis, fletusq; viæq;  
Flens causas aperit: dictis solatur amicis  
Angelus at, iubet & fugitata reuisere regna,  
Et mandata sequi, si quæ ferat vxor Abrahæ,  
Sara prior, iubet & monitis assuescat amicis.  
Sicq; datum positis agitet sub legibus æuum.  
Subijcit hinc, tua stirps toto regnabit in orbe,  
Et pregnans prolem paries, nomenq; vocabis  
Hismael, audiuit Dominus te vota ferentem.  
Quando vagatur Hagar stimulis cicta proteruis

Sare

Saræ per varios fines, en angelus olli  
Occurrit, mentemq; iterum spe mulcet amica  
Per media ipse sitim leuat, asseruatq; puellum  
Exanimem, miseretq; nouissima verba locuti.  
Quid dubitamus adhuc an nos custodia cœli  
Obserset, nostros iuuet, & mortalia curet?  
Sic vigil æthereus dulci complectitur umbra  
Thariedem pietate grauem, virtute fideq;  
Angelus, æthereis ausus se credere pennis,  
Labitur in terras, cœliq; cacumina linquit,  
Aggrediturq; virum dictis, quem diximus ante.  
Ille viros vltro poscit succedere tectis,  
Tunc alias inter voces, quæis tempora ducunt,  
Multa super sociam rogitant, prolemq; virilem.  
Subijciunt hæc te fœlici prole parentem  
Efficiet, quanquam fœcundos vixerit annos.  
Illa viros ridens: quæ iam fiducia surgat,  
Cum mea iam cani circudent tempora crines,  
Spes mihi nulla super sobolis manet, inquit, At illi  
Tene latet Domini diuina potentia magni?  
Omnia vi replet vastus quæ continet orbis,  
Omnibus in terris, hic & omni est tempore, præsens,  
Integer vsq; manet, nec regia continet vlla,  
Omnia sustentat, procurat, alitq; regitq;  
Hic dum rebus adest, vbi nil est sufficit omne,  
Hic quæ torpebant penitus languore senili,  
Illa vigere facit rursus, vigor omnis in ipso.  
Ipse vigor primus, quo sic mediante virescunt

Omnia



Omnia. Nam primum rebus dedit ipse vigorem,  
Hic foecundat agros, homo quos sterilefcere credit,  
Ergo age nil dubita sterilis, quæ visa fuisti  
Hactenus, optato ditabis pignore lectum  
Sara tuum, credas, rata sit fiducia mentis.  
Sic Isaac crescebat vbi surgentibus annis,  
Et pater Abramus diuina facessere iussa  
Iam rueret, monitus suprema de super aura,  
Hostiam vt vnigenum ( grauis hæc tentatio carni )  
Offerret, superat carnis fiducia luctam,  
Spem generis sibi non quamuis superesse videret,  
Certus erat tamen his monitis parere paternis.  
Moriger at monitis fidum cum stringeret ensem,  
Membra resecturus puerilia, corripit ensem  
Angelus, & talis penetrans tonat æthere clangor.  
Sat tua iam diuine senex spectata voluntas :  
Heu patrias cohibeto manus, quo numina cultus  
Qua pietate colas, sat vidi, comprime ferrum,  
Sat tua inauditus percussit pectora luctus,  
En inter dumos aries strepit, vndiq; circum  
Indignans, hæc ipsa tuo cadat hostia cultro,  
Vnigenam serua sobolem, quæ sydera cœli  
Vincet, & innumeros dabit hic, mihi crede, nepotes.  
Angelus Isacidis per mille pericula sponsam  
Protegit, in Domino dum stat fiducia cordis.  
Hoc duce de laqueo vitam venantis abiuit,  
Dum properat charum sibi foedere iungere nuptum.  
Robur & angelicum per tot discrimina rerum

SUCCEDE

Succurrit, soceri quando fastidia Iacob  
Septem annos tolerat, (tot amor scit ferre labores.)  
Seruitij vt precium Labanitida victor haberet.

Sic vt & Aegyptum, gens Israële profecta,  
Deserit, atq; maris vasto se pandit hiatu  
Flumen, & in montis faciem circum stat aquæ vis.  
Causa moræ quo nulla foret noctisq; tenebræ  
Ne remorarentur, tædas ignemq; ministrant  
Angelici latè cingentes agmina coetus.  
Excubiæ pariter cœli Mauortia contra  
Obnubent Syriæ arma, senem pietatis & vnum  
Fautorem tenebris nocturnæ lucis Elisam.  
Cum puer immenso crepitare examine circum  
Ignotos equites, supera arce volatile vulgus,  
Cernit, & in Syrios insurgere fortiter enses.  
Aethereæ mentes tot centum millia letho  
Corpora dimittunt, dum labitur vnus vmbra  
Noctis, & optatam reddit mortalibus auram  
Phœbus, & irrumpit per densa crepuscula luce.  
Captus vbi fuerat Petrus vinctisq; retentus,  
Angelus hunc soluit disrupta compede dura.  
Angelus & comitatur iter, ni falsa feruntur,  
Thobias iunior sociam cum quærit honestam.

Hactenus inspiciens diuina volumina verbi  
Aetherei, historias conscripsi ex ordine plures,  
Testantes curet quod turba ministra salutem  
Humanam, quod amet defendere fortiter omnes.  
Exquar hinc exempla recens quæ protulit ætas.

TA

Tu mihi sed Grynæe senex dignissime laude  
Primus eris carmen: Nam te fortissimus heros  
Eripuit denso conclusam turbine rerum.  
Cum faber atq; alij duris concludere vinculis  
Te molirentur, quia quæ sententia surgat,  
Percunctoreris, de vero corpore Christi.  
Num sacra liba preces fusæ venerentur, an ulli  
Hoc liceat mandante Dei sine munere verbi,  
Hanc alios cœnam Christus sacravit in usus  
Quando, nec ut steriles tantum lustremus agellos.  
His Faber incensus (Faber ut Vulcania proles)  
Heu mihi quas struit insidias, ipsosq; tyrannos  
Incitat, ut iugulans vitam tibi finiat ensis.  
Ipsus & incumbit studio feruente labori,  
Ut tibi quam primum celerent abrumpere lucem.  
Sed quibus humani cecidit custodia mentes  
Corporis, hoc contra pugnant, ruit angelus alto,  
Os, humerosq; viro similis, cui tempora canent,  
Aggrediturq; virum, diuino numine dignum,  
Atq; Melanthonium patrem prior ore salutat:  
Tu venerande senex Grynæum cedere manda,  
Nam capiti impendent mala plurima, mortis & hora,  
I venerande senex precibus compelle minisq;  
Dixerat: Obsequitur dictis pater ipse Melanthon,  
Grynæoq; refert præsentia quæq; pericla,  
Audiit hos monitis, & grata rependere tendens,  
Nullum cernit adesse virum, quærentibus ipsis  
Quis sit, nemo hominem norat, super æthera notus.

B

Accia

Accipiunt monitum medium, mediamq; per urbem  
Incincti nebula ducunt, neq; cernitur vlli.  
Sic quoq; Cygnæam propter, cum frigore saxa  
Rumperet acris hyems, triduum custodia turbæ  
Angelicæ fouit puerum, mandata sequentem  
Matris, at hæc peragit dum sedulus, vndiq; terra  
Sub niue tecta latet, nec se via trita videndam  
Exhibet: incertus sequitur vestigia quædam.  
Sed quoniam assiduo miscetur turbine nymbus  
Hæret, & assurgit præcelsa cacumina montis,  
Substitit hic triduum pastus cœlestibus aruis,  
Ambrosia fouitq; Deus (mirabile dictu)  
Ergo liquet satis hinc quod nos decora inclita cœli  
Et stipent, curamq; gerant, & corpus inerme  
Alarum foueant vmbra, Stygis omnia contra  
Fulmina, quæ mittit crebro ceu fluminis instar.  
Quando igitur tali, nos hoc in turbine rerum,  
Alituum coetus, cura officijsq; sequatur:  
Ne quæso exigite hos fidos à corpore seruos  
Non hos perturbate feri crudelibus orsis.  
Nam malè conueniunt nec in vna sede morantur  
Conscia mens, ac ætherri gens incola cœli.  
Pelluntur tetro nam ceu foetore columbæ:  
Mellificans & apis fumo fugitatur amaro:  
Sic carnis cœli dominante cupidine ciues  
Executiuntur, & æthereæ patriæ arua reuisunt.  
Ergo agite humani foedos dediscite mores,  
Exosi crimen, ne nos custodibus illis,

Exorate

Exorate Deum, spoliæ, date thura precesq;  
Pectoris, vt meritam placemus numinis iram.

PRO ANGELO  
BONO, CVLIBET HO-  
MINI ATTRIBVTO.

**C**Hriste quot insultus, quot sæua pericla Draconis,  
Vertice de nostro firmo cœlestis aberres  
Robore custodis? qui nobis firmiter astat.  
Dux vitæ promptus nostræ, sociusq; salutis,  
Et satagit dubias eludere Dæmonis artes,  
Nostra quibus penitus pessundare corpora gaudet.  
Quis mortalis enim tot tela dolosq; paratos  
Arte Stygis varia, propria virtute suarum  
Virium, & infirmo mortalis robore curæ  
Effugeret, minitansq; malum deluderet arte?  
Hoc, nisi cœlicolæ quem iuuerit ordo cohortis,  
Præstiterit nemo, licet acri Marte cruentus,  
Sic sitit exitium generis mortalis auernus.  
Non vlli sua salua domus, cariq; penates  
Essent, & sæuos frustra staremus in hostes,  
Optima quæq; graues nec morbos herba leuaret,  
Fertilis assiduo quamuis renouatus aratro,  
Gramen haberet ager, spinis Paliurus acutis  
Surgeret, agricolam spe vana luderet omni  
Tempore, nec vinum speratum funderet vna,

B 2

Legi.

Legitimus nullo gauderet piguore lectus,  
Tu nisi Christe gregem regeres custode fidelem,  
Quo Lothus exitium socio vitauit, & imbrem  
Sulphuris immissum regno Sodomæ atq; Gomorrhæ,  
Quo fugiunt moderante feri Daniela leones,  
Naturæ contra stimulos, & parcere prædæ  
Obiectæ discunt, feruente labore petitæ.  
Talibus intentet cum nostri nominis hostis  
Insidijs, & cum tam multa fraude petamur,  
Ecquid erit curæ modus, imbelliq; quieti  
Se nostræ poterunt timidæ componere mentes?  
Noster enim totis in id ipsum viribus hostis  
Incumbit, fidei quo dulcia semina veræ  
Extirpet, meritumq; Dei per cuncta fatiscat,  
Et secura piæ vitæ veræq; salutis  
Pectora reddat, ament huius quo gaudia vitæ  
Plus cœli, & cœlo sic ante feratur Adonis.  
Quod mihi si centum linguæ, sint oraq; centum,  
Quod mea si bis tot moderentur plectra Camænæ,  
Tot tamen insidias non possem prodere verbis,  
Quot ferus hostis agit queis credula pectora ludit,  
Promptius & numerem stellas capitisq; capillos,  
Quam pectusq; variosq; dolos serpentis auitæ,  
Vnus at has quascunq; acies pie Christe retundis,  
Ergo tuæ grata bonitatis munera mente  
Agnosco, mirorq; libens, propensa voluntas  
Numine te dignum quando nil nostra rependit.  
Concedis raros inimicum vincere fraude,

Qui

Qui modo te timeant, & te reuerenter honorent,  
Namq; duces addis vitæ comitesq; laborum,  
Qui, qua fata vocent, nos asseruando gubernent,  
Subijcis ipse pijs pedibusq; Acheronta superbum.  
Hæc benefacta meæ poterunt non promere vires  
Pro meritis quando, tibi nostra dicata voluntas  
Sufficiat, posthæc & nos custodia cœli  
Seruet, vt in cassum Stygis atri regna laborent  
Nil possit mundus, rigidus succumbat auernus,  
Imperiosa caro ne vires exerat, obstet  
Spiritus, in melius vertens petulantius ausa.

IDYLLION SACRVM  
RAPHAEL, MIRACULA  
Veteris Testamenti præcipua complectens.

Nvper vt ingressus syluas, secreta pererro  
Iugera, conceptum sperans lenire dolorem,  
Quem miseranda mihi peperit confusio rerum:  
Grassatur pestis, belli nouus ingruit horror,  
Victa iacet pietas, fratrum concordia rara est,  
Gratia præteriti superest non vlla laboris,  
Scire volunt omnes, sed pendunt præmia vari.  
Auri crebra fames, non hospes ab hospite tutus:  
Hæc animo alternans tristis vestigia lego,

B 3

Audio

Audio diuinis quendam proferre loquelas,  
Accurro, mirorq; sonos, & leta ferentem,  
Ipse sed exanimis syluæ dum singula lustro,  
Conspicio iuuenem mortali fronte videndum,  
Quem lachrymas iuxta video miscere bubulcos,  
Deflebant vitæ turbas, pecorisq; ruinam.  
Ille sed ingreditur dictis, solatur acerbos  
Et casus spe fortunæ melioris, & inquit:  
Ipse ego sum cœli decus æthereusq; minister,  
Sum R A P H A E L magni decus immortale parentis.  
Cedite curarum nymbi iam carmine condam  
Maxima ab incepto miracula prodita mundo,  
In quibus apparet præsentia numinis ipsa  
Rebus in afflictis patria quod contegat umbra  
Fidenti patrio dedunt sibi pectore amor  
Quotquot, ouantq; frui sub tanti numinis alis,  
Quæ poterunt vestrum pastores flectere luctum.  
Talia percipiens arrectis auribus asto,  
Et iuuat hæc tenui miracula texere versu,  
Nunc quibus hic totum complevit cantibus orbem  
Musa refer, prima repetens ab origine cantum.  
Principio referebat vti de semine nullo  
Omnia & ipse tener mundi concreuerit orbis:  
Vt terras pelago discluserit, æthera terris,  
Vtq; solum formas paulatim sumere rerum  
Cœperit, vt cœli lustrauerit atria flammis.  
Vt dicente Deo lapidosi surgere montes,  
Extendi campi, primum subsidere valles.

Hinc



Hinc Deus vt tenui limo formarit Adamum,  
Infundens animo diuinæ mentis & haustus  
Aetherei sensum, vt dominari in cœtera possit,  
Os vni sublime Deus, Deus omnia complens,  
Fecerit, vt cœli posset conuexa tueri,  
Condita cum spectent animalia cœtera terram,  
Cœtera cum segnem passim strauisset in aluum.  
Hinc etiam primi lapsum referebat Adami  
Blanditijs victi sociæ, socia vtq; colubri:  
Vt sit & attractum genus immortale malorum  
Humano capiti, fuerant habitacula diuum  
Et quæ membra prius, sint facta cloaca Draconis.  
Propitius Deus vt casum miserus acerbum  
Seducti generis, natum promiserit vnum,  
Qui genus hoc nostrum Stygijs subduceret oris,  
Quiq; resarciret lapsu destructa parentum.  
Nec tacet angusta quod profligauerit aula,  
Morigeros sathanæ Deus, atq; eiecerit horto.  
At sterilem terram commiserit exercendam:  
Iusserit austero sese nutrire labore  
Sit dolor vt positus patrati criminis vltor.

Vtq; Cain dare thura Deo cum fratre paratus  
Innocuum vita fratrem priuarit Abela,  
Innocuos quoniam mores vitamq; probabat  
Altitonans fratris, Dein quas sibi legerit oras  
Dirus agri cultor, quæ sint & mœnia primo  
Condita, primus Enoch quod opus sibi vendicat autor  
Et superis vt Enoch viuus successerit oris.

Subiicit vltici Deus vt subuerterit vnda  
Omnia, cum commune nefas dependeret orinis  
Terra, ferae, quando nec non genus omne perirent,  
Vt Deus in medijs variatum nubibus arcum  
Finxerit, aeterni monumentum foederis arctum.  
Vt velante Deo, saeuis agitata procellis,  
Arca Noe tumidos ventorum exceperit ictus  
Incolumis, dum rector adest qui temperat vndas.  
Vt dicente Deo vis cesserit omnis aquarum  
Nubila sint terris, nymbiq; Aquilone remoti,  
Coruus vt emissus subductae signifer vndae  
Immemor officij dubiam reliquerit arcam,  
Chaonia vt volucris, mandato munere fungens,  
Index, vnde emissa fuit, repetiuerit arcam,  
Apportans oleae ramum, quo flumina circum  
Subsedisse docet, montesq; vacare liquore.  
Hinc canit ad coeli deductam culmina turrim,  
Qua fretos perhibent regnum affectasse supremum.  
Sed Deus astra tenens conatus vindice dextra  
Euertit, variae immisit discrimina linguae,  
Vt quibus vna prius fuerat perspecta loquendi  
Regula, diuerso proferrent omnia ductu,  
Vnitis linguis verba in variantia fissis.  
Ergo ita confusi tali desistere coepto  
Sunt moniti, licuit nec summam imponere dextram.  
„ Omnia sic sacro vertuntur numine coepta,  
„ Quae superant vires, mundi coelestibus aequant  
„ Quaeq; decus. Merito dignemur honore tonantem  
Ergo

„ Ergo Deum, cuius placeat submittere velle.  
Nec filet Isacum, generoso stemmate natum,  
Quem sit mater anus steriles enixa sub annos,  
Angelus vt matri, diuini nuncius oris,  
Omnia, cum nullum speraret pignus amoris,  
Obtulerit, rebusq; fidem conferre receptis  
Iusserit, hæc quoniam, nullo qui fallitur vnquam  
Et qui non fallit, cuius sunt aurea dicta  
Nunquam cassa fide, patribus promiserit vltro.  
Vt senior iuuenem sacris addixerit aris  
Expedit, admonitus superis vt vertitit ensem.  
Seruatumq; refert duo per septienni Iacob,  
Seruitij vt precium dulcem ferat inde puellam.  
(Tantum amor optatæ potis est tolerare puellæ  
Durum mollit opus charæ spes facta puellæ)  
Et luctam noctis factam sub imagine Iacob.  
Dein scalam visam, quæ vertice contigit astra,  
Per quam coeliculas vidit descendere turmas,  
Mox renouare gradus, cœliq; cacumen adire.  
Somnia quin etiam Ioseph labentibus astris  
Obuia facta pio: ceu multo mergite lecto.  
Constiterit suus erectus, reliqui licet omnes  
Procumbant proni, atq; suum reuerenter honorent.  
Vidit hic vt cœli decus, & Latonia, stellis  
Vndecim & admixtis, faciles se numen adorent.  
Somnia quæ propter, cum multa futura monerent,  
Insidiabantur vitæ, Iosephq; cruenti  
Dispoliant, patria qui missus venerat æde

Legatus, quamuis vitalem abrumpere causam  
Mens erat, absistunt tamen his crudelibus orsis,  
Et vendunt ( peragit sic omnia maximus autor  
Et ne quis dubitet quod cernat is omnia vindex,  
Quod nec cassa fide sint illius aurca dicta  
Quæ quondam referens nobis testata reliquit.)  
Seruitium postquam tredecim tolerauerat annos  
Carceribus clausus, nodis & vinctus ahenis,  
Solutur, aërius prædiceret omnia vates  
Cum ventura duci, quem somnia dia monebant.  
Solutur, vt rerum Dominum regemq; salutent  
Iosephum, penes hunc vt vis vt norma regendi  
Vna sit imperium, magnum mirentur vt omnes  
Ingenij decus & diuini vatis acumen,  
Vtq; trigonalem Iacob peruenerit oram,  
Vtq; palestinos per tot compresserit annos  
Seruitij labor, vt rex totam auellere stirpem  
Conatus Iacob, solas ditione teneret  
Vt late populos, sociosq; auerteret omnes.  
Hinc fatis incensa rubi nec perdita tesqua  
Exequitur, quondam diuinus carmine pastor  
Quæ vidit Moses, soceri cum pasceret agnos  
Ad montem, qui nomen habet, non pinguis agelli.  
Natus vbi patris æterni miranda duarum  
Vincla inumbravit per dumum naturarum.  
Verus homo, verusq; Deus, consorsq; duorum,  
Quod natus nostro poenam pro crimine soluet.  
Hæc nos edocuit flammantis imagine dumi,

Hinc

Hinc virgam in tortus sinuosos flexerit anguis  
Ut Moses, Mosis coluberq; absorpserit omnes  
Arte Magum factos, quibus hi deludere dium  
„ Certabant vatem. Seruat sibi pectora fida  
„ Astra tenens iustos confundi nec finit vnquam.  
Dein canit vt multum mollire precando Sacerdos  
Tentarit, Phariæ dominantem in regia gentis,  
Ille sed obstiterit, dictis neq; motus amicis,  
Nec fractus pœnis, genti Israële profectæ,  
Sed geminarit onus, natæ tolerare labores.  
Hinc & signa decem totum memoranda per æuunt  
Edita commemorat, queis dira Lycaonis optat  
Flectere corda Deus, fretus feritate tyrannus  
Ast monitus multo grauiores concipit iras.  
Ergo Deus ne quid tentatum linqueret vnquam,  
Quod Phariæ regis conceptam temperet iram,  
Signa tot exhibuit, poterat quæ saxa mouere.  
Perstat in incepto mens indurata Tyranni.  
Ergo Dei vates Aaron, iam numine plenus  
( Cuius ad imperium pauet vndiq; victa potestas  
Quem natura pauet, cui summa elementaq; parent  
Hæc quamcunq; iubet migrantia sumere formam. )  
Tangit aquas virga niueas, en sanguine Nilus  
Et reliquæ complentur aquæ, iam piscibus humor  
Consuetus decrat, viuebant sanguine pisces  
Sanguine stagna lacus, nymphæq; cruore redundant.  
Talia mentis inops collustrat cuncta Tyrannus,  
Et retinet Phariæ, gentem Israëlis in aruis.

Hinc

Hinc iterum Nili caelo profundit in oras  
Ranarum numerum, caeli qui temperat axem,  
Quantum vere nouo non totus procreat orbis,  
Quæ propter saliunt, Pharaos seu pocula libet,  
Siue cibos digitis capiat, multumq; coaxant.  
Cyniphis in genus & puluis conuertitur omnis,  
Quam late pandunt septemplicis ostia Nili.  
Hinc ut dira lues terras infecerit omnes  
Aegypti, non vlla tamen sint corpora letho  
Isacidum data peste, licet vicina per ora  
Occiderent multi, caderet genus omne volucrum.  
Vlcera quid sileam pariter dispersa per omnem  
Aegypti terram? quid mixtum grandine nymbum?  
Ignifero ut terram tonitru tremefecerit omnem?  
Corpora quid sileam innumeras inimica locustas?  
Præteream immissam tridui per tempora noctem?  
Inferit Aegypti caelestis ut angelus orbem  
Transierit, primos partus quoscunq; necarit,  
Tandem ait emeritas ut demum soluerit hostis  
Effrenus poenas, cum vix iam carcere raptos  
Insequitur, Nili confusus fluminis vnda.  
Iusserit ut Moises discedere flumina late  
Inuia, qua populus gressus inferret, ad illum  
Curuata in faciem montis circumstitit vnda,  
Accepitq; sinu, transmisit & agmine denso.  
Utq; ministrârint caelestia numina flammæ,  
Vndiq; quando forent vestiti nubis amictu.  
Dein canit exortos caeli sub cardine motus,

Vt tremefacta nouo mugirit terra tumultu,  
Cum liquidus sese diuiserit aether hiatu,  
Antiquam pater Aegypti redeuntibus aruis  
Quando tulit legem, tabulis & marmore scriptam.  
Addit ut atq; sitim Moses tolerare famemq;  
Nouerit, vnus seruatus numine diui:  
Colloquiumq; Dei, per quod, quid numina poscant  
Fertq; refertq; uiris diuini nuncius oris,  
Insequiturq; viros, quos turpia crimina propter  
Hauferat alma parens, quando furor arma ministrans  
Choram cum socijs in stulta induxerit arma.

Præterea ut uanis adolent qui altaria tædis  
Atq; aras foedo sacras dignantur honore,  
Ipse pater rapidum iaculans è nubibus ignem  
Priuatos vitæ, Stygijs submerserit undis.  
Utq; rebellantes pœnis affecerit omnes  
Rex superum: contra diuino munere diuum  
Ut sanata cohors quæcunq; aspexerit anguem  
Suspensum monitu, superum, quo Symbolon extet  
Compositæ pacis, præsentis imago salutis.  
Ut liquor æthereus, duris è rupibus ortus,  
Sit populum comitatus iter quo tenderet usq;  
Quadraginta, virum tot millia fouerit annos,  
Ut panis cœlestis, ab æthere cœlitus actus.  
Miratur vestes tot delabentibus annis  
Incolumes mansisse tamen, mirabile dictu.  
Et Iosua ut virtute potens, seruator & vnus  
Nomine req;, genus de prisca stirpe parentum

Proge

Progenitum, multo Iordanis flumine septus  
Transierit saluus, populo comitante subinde,  
Utq; tubæ sonitu septeni robora muri  
Corruerint, fuerant quæ spes Ierichontis auitæ.  
Utq; Deus cui paret humus, cui regna polorum,  
Labentem cursu solem retraxerit, atq;  
Iusserit oppresso celeri consistere gressu,  
Dum Gabeon contra populus certaret Hebræus.  
Ut Deus ac hostes immisso grandinis imbre  
Occiderit plures timido terrore fugatos  
Quam gladij tactu caderent. Sic optimus autor  
Consuevit seruare bonos, & credula corda.  
Quam ruerent sibi deuicti, prius ipse Tyrannos  
Obrueret, propriaq; manu confunderet hostes.  
Victoris celebres hinc & Gedeonis honores  
Commemorat, qui cum tota de gente trecentos  
Eligeret iuuenes, triplici in statione locatos,  
Instructis manibus tædis flammantibus, ollam  
Atq; gerente manu, dextræ commisit & æra  
Rauca tubæ, quæ inflata boant & sydera terrent.  
Edocet atq; modum, & qualem committat ad vsum.  
Scilicet vt iussi, fragiles simul ordine testas  
Collidant, subitoq; hostes clamore fatigent.  
Exitus orsa probat, strepitu rumpuntur vt ollæ,  
Ut sonuere tubæ, ter centumq; vndiq; flammæ  
Collucent, in se ruit irreuocabile vulgus,  
Conuersis dextris, pavor & metus acer agebat.  
Dant cita terga duces, proprio cadit hostis abense.

Hinc



Hinc ut crine potens, diuino robore malæ,  
Mille Philistæos miseranda morte necarit.  
Strauerit ut Symson fortissima terga leonis,  
Tollentis ceruice iubas, & multa rudentis.  
Subiicit Eliam, confesso flamine magnum,  
Ut natum viduæ viuas reuocârit in auras,  
Utq; sacerdotes Baal, sacra vana ferentes,  
Effictos propter cultus submiserit orco,  
Demissi ceu sint imbres, siccata rigentes  
Placata ternas post messes numinis ira,  
Submissis precibus vatis, populiq; gementis,  
Ut vates senior cœli super arua relatus  
Sit viuus, viuum caput inter nubila condens.  
Hinc ut Elisa, viros parvæ circa antra Sareptæ  
Officij plenus, dictis seruârit amicis:  
Nec dictis tantum rebus sed iuuerit ipsis,  
Hospitis ut natum rediuiua luce beârit,  
Insuper ut gratis aliena è gente Naëmum  
Tabæ leuârit, aquas infecti fluminis atq;  
Sanârit, viduamq; oleo donârit abunde.  
Plurima quæ pauca nequeunt compræhendere cartæ  
Edita, Deinde canit miracula tempore regum  
Hinc & Chaldææ Babilonis concinit iras,  
Utq; Palestinam gentem sub mole laborum  
Presserit, & dubijs sint territa pectora rebus,  
Dum poscit renegare fidem gens impia patrum  
Præteriti seclis, ferrumq; minatur & ignem  
Utq; Deus subiecta iacent cui cuncta creata,

Natura

Naturæ contra ductum compresserit ignem  
Ne sibi commissos, consumeret ignea flamma,  
Mulceret verum prius atq; calore foueret.  
Ut Daniel vates iuuenilibus integer annis  
Chaldeas multis ductus comitantibus oras,  
Obiectusq; feris, non præda leonibus apta,  
Aeterno seruante Deo, quem corde ferebat,  
Dentibus excussus frendentium & ore leonum  
Et vinclis raptus, sit liberate beatus,  
Tandem vt stirps Iudæ longos seruata per annos  
Constiterit, donec dicunt quem nomine Siloh  
Constituit quem massa hominis naturaq; dia,  
Venerit in mundum, mundi melioris origo:  
Dixerat hæc: celeres subito remeabat in auras  
Alta volans, tales resonant ac auia voces:  
Adjicerem nati Siloh miracula magni,  
Sed iam fata vocant, alijs memoranda relinquo:  
Vos nunc vos iuuenes lætum pœana referte  
Et laudatq; Deum cui rerum machina paret.  
Continuo læti concentibus æthera mulcent  
Pastores, laudesq; Dei sonat omnis agellus.  
Nunc nos nulla mali turbat confusio summi,  
Quin nos & recreet fortis spes magna futuræ.  
Nam Deus humano, cum spes est nulla relicta,  
Succurrit generi, nihil est vbi, sufficit omne.  
Is nos ceu proprijs securos contigit alis,  
Quod nequeat ditis quicquam fraus ampla nocere,  
Millia multa licet miseranda peste necati

Ad

Ad dexteram recidant, pariter tot millia laeva,  
Nos tamen aeterna protecti numinis ala  
Salui erimus, nostros numeravit vertice crines.  
Ergo age curarum densi discedite Nymbi,  
Angelus, Aërijs terram delapsus in alis,  
Nos confirmavit, miracula prodita texens.  
Ergo age curarum densi discedite Nymbi,  
Nobis parta quies, nec nos mortalia terrent,  
Qui maiestatem mirandis prodidit actis  
Nos cito, nostra fides ne fluctuet, atq; iuuabit  
Eripiet miseros diuersa per aequora vectos  
Et nos errantes in regna petita locabit  
His actis feci praescriptos ordine versus.

## DE PIIS ANGE- LIS HYMNVS.

**I**lluxit iam sacra dies, addicta ministræ  
Coelicolum turbæ, Michaël qua Archangelus omnes  
Per tractus terræ quin & stellantis olympi  
Claret honore suo, qua dona feruntur ad aras  
Debita solennes, precibus gaudetq; litatis.  
Vos qui curatis superos & numina diuum  
Adsitis, solenne decus celebrate fauentes.  
Nunc indulgendum sacris, clementia diuum  
Nunc hic nunc illic cantata per aethera tendat.  
Maturate Dei laudes, laus compita passim

C

Inton

Intonet & nullos capiant obliuia tanti  
Muneris, ast superis manibus date lilia plenis,  
Grataq; ferte pie turbas, ac exposcite numen,  
Adsit vt, ac ob eas pia quæuis concio plaudat.  
Spiritus hos, rerum sator, omnis originis expers,  
Voce creans, nullo finxit de semine rerum,  
Corporeæ expertes molis, rationis at auctas  
Vi multa, partem diuinæ mentis & haustus  
Aetherei inflauit, reliquoq; exemit aceruo.  
Quin etiam voluit rectiq; boniq; ministros  
Esse indefessos, quæcunq; in fata paratos.  
Hinc vigiles ergo noctuq; dieq; facessunt  
Iussa Dei, sistunt supremi ante ora parentis,  
Dulce melos promunt Domino, & Pæana recensent  
Heu mihi sic adeo rabiem oppugnare Draconis  
Addictam superis aciem, sine fine furorem  
Exercere malos genios, occurrere ferro  
Vsq; pijs Sathanam, bellumq; scelusq; ciere.  
Qui sese auertit nulla cogente ruina,  
Qui mundum nisus proprio extirpare furore.  
Ille odijs meritoq; Dei, succensus honore  
Quas versat fraudes, quid non temerarius audent?  
Ceus lupus infestans exquirat ouilia circum,  
Insectatur oues rabie expilator ouilis.  
Credula ceu rapidi captant armenta leones,  
Qualiter & frendit vacuo si cedit hiatu  
Impatiens remeare leo, fuluaq; comantes  
Attollit ceruice iubas, exasperat iras

Spes

Spes elusa graues, fremitum montesq; loquuntur &  
Taliter immensæ loca deuia & obuia terræ,  
Circuit indignans, mox hîc fremit & fremit illic,  
Cœcatas varia mentes & fascinat arte,  
Viribus incumbit totis nisq; perenni,  
Vt cultus abolere pios mendacia possint,  
Vt mendax subeat doctrina, Deiq; fatiscat  
Inclytæ relligio mortalibus obsita sacris,  
Hinc igitur passim bellorum incendia miscet,  
Omnia conturbat leges & iura rescindit,  
Impius hinc aris libat sua vota prophanis,  
Cuilibet & ligno sacros indicit honores,  
Esse Deum credens cui diuam destinat aram.  
Alter aduiterijs totam contaminat urbem,  
Huic est nulla satis mulier, non vlla puella.  
Defraudant alij viduas, orbantq; clientes,  
Et benè culta modis diuersis iugera captant.  
Hinc inter reges summo discordia motu  
Exoritur, celsas æquat quæ funditus vrbes.  
Inter & agnatos serit exitialia bella,  
Et Germanorum rara est concordia fratrum,  
Mentibus omne scelus grassator inertibus inflat.  
Concitat hinc ventos qui terras turbine perflent,  
Extirpent herbas, fruticesq; à sedibus imis.  
Veliuolis Aquilo spirans animosus ab oris  
Stridet, & ex oculis hominum subducit olympum,  
Submittit nymbos denso velut agmine facto.  
Sæpius atq; nouas lapidosa grandine fruges

Conterit, in tectis crepitans salit horrida quando.  
Sæpius ipsa armenta grauem vix grandinis ictum  
Effugiunt, quando loca talis consita vastat.  
Quin etiam coeli corrumpit sæpius orbem,  
Insicit ac nubes, piccumq; per ossa venenum  
Dissipat & multos florentibus opprimit annis.  
Dat genus omne ueci pecudum, miserandaq; regnat  
Arboribusq; satisq; lues, generiq; volantum.  
Nec via mortis adest simplex, sed corpora morbis  
Diuersis sternit, nunc hic, nunc occidit illic,  
Et tristem referunt loca quæuis tacta dolorem,  
Multa gemunt largoque humectant flumine vultum.  
Concitatur vt Scythicas adducat Thracia vires,  
Thracia Teutonibus miserandi funeris horam  
Sæpe minata, studet quia suffulcire labantis  
Religionis opus, quaque inclinata recumbit  
Omnis doctrinæ ratio, diuina secundum  
Numina, quæ solam seruant & prona tuentur  
Nec tantum Geticos armat liuore Tyrannos,  
Imo etiam nostros stimulat, causamq; modumq;  
Subijcit, horriferos expirans naribus ignes.  
Nec deuitari lethum licet, icta securi  
Plurima turba cadit, fastidia ferre coacta  
Ob sonitum verbi, & ne quid relinquat inausum  
Nunc has nunc alias feruens exuscitat artes,  
Pollicitis vates & spe prædiuite lactat,  
Promittens & agros, & multo fœnore nummos,  
Humanas multaque linit dulcedine mentes.

His

His si blanditijs in cassum pectora tentat,  
Mille doli subeunt, miseris queis subdolus instat,  
Omnia tentantur diri discrimina lethi,  
Christicolæ gentis quæ dulcia membra trucidant.  
At Deus humanæ cui cessit cura salutis,  
Qui nouit capitis numeratos ordine crines,  
Angelicis mandata choris peragenda locutus  
Nos commendauit, gressum quocunq; feramus  
Vt nos sustollant humeris, casusq; per omnes  
Numine fortunent, aduersa instantia nobis  
Auertant, magna rabidos virtute leones  
Seu calcare iuuet, seruent, coeptumq; secudent.  
Muneris hi memores mandati iugiter astant  
Accincti gladijs, nec non vibrantibus alis,  
Siue die laxetur humus, seu frigida cælo  
Sydera voluantur, placidam ceu cuncta quietem  
Dent membris, nos seu vestigia cæca sequamur  
Per scopulos, Syrtesq; feras, salubrosa locorum  
Per iuga, seu celeremus iter commissa secuti:  
Suffulcire pedes labor istis omnibus horis  
Ne titubent, motu neu contendente labascant.  
Nec tantum corpus veluti leuis umbra sequuntur,  
Imo laceßiti pro tempore prælia miscent,  
Vi multa reprimunt violentum fortiter hostem.  
Nec minus immensum peragrant fida agmina mundum,  
Atq; intercludunt aditus, qua proruat hostis.  
Asseruisse student, retinent & vindice pugna  
Sacra, pios cultus, aris votosq; labores.

In caput auctoris vertunt scelus, omen in ipsum  
Triste cadit, foueamq; , pijs quam struxerat, intrat.  
Dissita quæ fuerat pax, consita floret vbiq;  
Semina diuersi studij concordia tollit,  
Ne trahat in varias amens discordia sectas,  
Diffusas cohibent lites, vnumq; sequantur  
Vt pleriq; pij faciunt, causisq; nouandi  
Exclusis regnat magno coniunctio fructu,  
Et vesana vagæ cedit petulantia linguæ,  
Legibus æternisq; fauent & iura tuentur,  
Vt positis agitent ciues sub legibus æuum.  
Hortantur resides, & diui numinis auræ  
Victrices subdunt vires, mentesq; gubernant  
Nostra vt amore Dei coalescant pectora verbi.  
Sæpè leuant etiam morbos, nostrisq; ruinam  
Corporis immutant, quamuis per viscera lethum  
Sese agitet, redit vt vix tristis anhelitus ore.  
Nouit Pæonias his nemo fidelius artes.  
Hi sunt Hyppocrates Podalirius atq; Machaon.  
His donauit enim sua munera verus Apollo  
Sponte sua, vt miseris proferrent fata medendo,  
In medio hi possunt cimbam Styge sistere onustam,  
Et vetitam nauæ seniori auertere prædam.  
His pater omnipotens, solis dedit ore rotundo  
Posse loqui, solis datur his florere per artes,  
Hi soli Christo gemitus & vota piorum  
Auribus hausta suis referunt, pressosq; labore  
Eripiunt, tortosq; ruunt incidere funes,

Immi-



Immitesq; metunt vltirici falce Tyrannos.  
Sæpè hiscens tellus viuos commisit auerno  
( Quando solent superum in regem spirare Tyranni  
Indicuntq; feri bellum coeleste gigantes. )  
Vicini nobis habitant, opera omnia præstant,  
Custodire nouas glaciali à grandine fruges  
Sueuerunt, operaq; pari seruare Penates :  
Propulsant nostris populantem à sedibus ignem.  
Nos ita perpetuo studio officijsq; sequuntur  
Relligio & quibus est cordi, bona cuncta ministrant.  
Sic animis trini pueri, ter fortibus aucti,  
Angelica custoditi virtute, Caminos  
Flammiferos, nil formidant, nil territat ignis,  
Incassum flamma crebris assultibus vrget,  
Ardorem potius constans patientia frangit,  
Spe superant, ignis iuuenilia corpora mulcet,  
Abstinet his vapor in medijs fornacibus ardens.  
Sic Daniel insons media inter regna leonum  
Irritantum iras suetorum parcere nulli,  
Seruatus coeli famulis, flatuq; ministro  
Incolumis saluusq; cruentas effugit iras  
Consilium nec eum, nec eum sua dextra tuetur.

Sic Lothus ipse senex, coelestis voce ministri  
Præmonitus, vitat glomeratum fulguris imbrem  
Nullaq; quæ densant, funesta pericula terrent,  
Et, siquidem in Domino coeptam spem fixerat omnem,  
Vnus & in populo aduersus sua secula rectus,  
Atq; Deum iusto colit obseruatq; timore,

Tutus abit, superatq; excelsa cacumina montis,  
Sic quod nec miseros nos noxia turba prophanet,  
Supplicium nec nos, bene quod peccata merentur,  
Consequitur, sic quod pacatum ducimus æuum,  
Hos patrios inter gaudentes pace penates,  
Hoc opus angelicum, mala quod nos plurima contra  
Protegit, & Stygij scelus irritat omne tyranni.  
Edocet exemplis hæc præsens pluribus ætas  
Nullius Antiochi grassata furore Tyranni.  
Sic adeo est, furit ut Romanus alastor in orbe,  
Qui nunc sulphereo Stygis in flammatus ab igne,  
Ceu rabiosum animal morsu trahit obuia quæuis,  
Irruit in sanctos & religionis amantes,  
Qui cupiunt fictos aris detrudere cultus,  
Immemor ipse sui mendaci percitus æstro  
Thyas ut, indictis Bacchi patris excita sacris,  
Seuit inops animi, totoq; accensus in orbe  
Bacchatur, reducem queat ut remouere salutem,  
Insignesq; viros, quibus est hanc tradere cura,  
Ut replere pio sanctorum sanguine fauces  
Arentes: Verum vetat id sacer ordo cohortis  
Angelicæ, volitatq; pios crebro vndiq; circum,  
Peruersos dextra qui vindice pugnat in hostes.  
Romanus nihil hinc pactis Epicurus in armis  
Proficit, & frustra meditatur bella dolosq;  
Seruat enim excitos fato reuocare sub auras  
Verba Dei, & verbo veram tractando salutem  
Afferere, ipse Deus præsens & vbiq; locorum,

Agmis

Agmina fida fouet credentum, atq; alleuat vlnis,  
Papa scelus summum grauium causa vna dolorum  
Pondus iners, ventri scelerato deditus vni,  
Infatuat reges, & totum territat orbem.  
Quid non molitur, quid non meditatur iniquus?  
Quinetiam precio coelum, coelumq; tenentem  
Vendit, quas nugas quæ non mendacia fingit?  
Imperia huic venalia, sacra fidesq; salusq;  
Vende animam lucro, superos & tartara vende.  
Et te poena manet grauis, hanc tua vana piabunt  
Sacra nihil, scelus omne lues mentitaq; vota,  
Nos tuba quando Dei superas reuocabit ad auras  
Extinctos, volet & placidam conferre quietem,  
Aeternamq; pia speratam mente salutem,  
Heu mihi dura feres meritorum signa tuorum,  
In quibus est spes fulta tibi, quicis niteris vnus.  
Quando alij repetent coelum, Phlegetontis adibis  
Flumina, Tænarij triplici circumdata muro.  
Sed tibi magne pater rerum, sapiensq; creator,  
Quas grates toto peragemus pectore, quæue  
Debita pro meritis pangemus carmina tantis?  
Certè aliquis citius numerabit veris honores,  
Aut mare quam vastum numerosam voluat arenam,  
Quam tibi pro meritis concinnet in ordine grates,  
Tu nos formasti viuæ tuæ imaginis instar,  
Tu nos inferni rapiens è gurgite vasto,  
Aeterna gratis nos in statione locasti.  
Tu nos exutos primorum labe parentum

Iusticia vestis : si te modo mente fideq;  
 Concipimus, Christumq; iterant resonantia labra.  
 Tu mala pro nobis pateris licet, eluis omnem  
 Sanguine tuq; tuo scelus ; attamen improbus orbis  
 Crimine compensat meritum, ac immanibus ausis.  
 In te mendacis spargit conuicia linguæ,  
 Tantorum quamuis sumus ipsi causa dolorum  
 Insuper ipse tuis vltro veniam hostibus oras  
 Quinetiam socias λαιτδργικὰ πνεύματα, nobis.  
 Nil aliud quando nos hoc in turbine rerum,  
 Quam lingua titubante tibi persolvere grates,  
 Possumus, ab facilis precor hac in mente quiescas :  
 Et quamuis desint vires, contentio certe  
 Sufficiet propensa tibi nimiumq; placebit.  
 Christe salutis iter dubijs in casibus actos  
 Custodire velis, studiumq; animosq; gubernas,  
 Nostra tibi placeant peragenda vt tempora vitæ :  
 Vt confessa nefas, mores exosa priores,  
 Vita, regat reliquos studijs melioribus actus  
 Ne vitiata malis scelerum contagia crescant.

## ANGELVS PRAE- FECTVS IMPERIIS.

**N**ullus in hoc mundo regni suscepit habenas  
 Appulsus casu meditatur vt ethnicus error,  
 Misit in imperium nec fors variabilis vllum.

Sceptra

Sceptra tenent reprobi fato voluente tyranni  
Poena Nero grauis est, ferus & Maxentius orbis,  
Vngitur in regem Salomon pietate probatus,  
Non quia rege satus patre, sed quia numina seruant.  
Nec tardat, licet innumeris assultibus instent  
Adonias Semei & reliqui venentur honores  
Vt regni assiduo studio varioq; labore.  
Omnis ab aeterno quamuis infirma potestas  
Numina dependet. Vires animosq; gubernat  
Numinis aura Ducum, diuinaq; dextra tuctur  
Insidias contra positas, motosq; tumultus.  
Dat Deus imperium Regi, Regemq; coronat,  
Solut inarmatas armans in praelia vires.  
Hoc moderante ducum regalis purpura vestit  
Corpus, & ornatos vindex corroborat ensis,  
Vt possint seruire Deo & cultoribus aræ,  
Sic licet Herodes radice auellere stirpem  
Conatus iuuenum, dum matris ab ubere raptos  
Lactantes iugulare iubet, tristemq; furorem  
Exercet, tamen huic qui cæli temperat axem  
Imperio mittit populos frenare superbos.  
Vult placidis reprobisq; homines parere tyrannis  
Astra tenens, ipsi pendet violentia poenas  
Publica. Namq; Dei viuentis imago potestas,  
Omnia qui nutu vel summa vel infima regnat.  
Hostis at ille Dei, factiq; illusor honesti,  
Qui consulta Dei in peius conferre potentis  
Optima quæq; cupit, furijs exercet acerbis

Iura,

Iura, magistratus, leges legumq; ministros  
Inprimis decorat veneranda modestia si quos,  
Vel pietatis amor, qui mulctant vindice poena  
Crimina, commissumq; nefas, scelus atq; repellunt.  
Innumeras obices, obiectat, & vndiq; tendit  
Retia, furtivasq; scrobes suffodit, vt astu  
Viribus aut sternat, non raro pectora flammis  
Illicitis torret, vitioq; inuertere iura  
Suadet, & ambiguas falso decidere lites.  
Me nisi mens fallit, superesset nulla potestas,  
Ni Deus hanc firmæ muniret robore dextræ,  
Ni Deus ætherea legaret sede ministros,  
Qui, quocunq; pedes referant, munimine stipent.  
Dum ter septenos Phœbus repetiuerat ortus  
Angelus en Michaël reliquos fortissimus inter  
Iuuerat infirmi conatus robore fratris,  
Atq; Pelasgiaci varias cacodæmonis artes  
Miserat in nihilum, mendacia vana refutans.  
Quando irritauit iustam maxentius iram  
Numinis admissis, nec finem poneret vllum,  
En Deus exciuit, nulli pietate secundum,  
Et cui sancta dedit nomen constantia, regem,  
Vnus vt hic virces nec non crudelius orsa  
Frangeret, & meritam lueret pro crimine poenam.  
Angelus adductum præcessit signifer agmen,  
Vexillum gestante manu crucis atq; triumphum,  
Hostibus ex Stygijs quem nostra redemptio victis  
Egit, ad æthereum dum capta soluta parentem

Ducit,

Ducit, sidereo spectacula dulcia regno  
Oenotrium contra iam iam tot dimicat annos  
Nequaquam virtute lupum domus ampla minori  
Saxonis, in sese fera fulmina sustinet acta.  
Hæc stat adhuc inuicta Dei seruata ministris  
Ruta vires (vireatq;) Dei fulcita columnis.

Christe patris summi vis vna eademq; potestas;  
Sis bonus ô felixq; tuis, tueare benigne  
Hos, quibus imperij fines sanctumq; senatum  
Suppeditas, moderare, tuo mentesq; gubernas  
Numine, quo sanctum, iustum, rectumq; sequantur:  
Tu bone Christe, feri ne supprimat æquoris æstus,  
Dirige nauis iter Nauclerus, discute ventos.  
Namq; tuum imperium pelagi, tu nubila trans,  
Collectas fugias nubes, solemq; reducas,  
Christe tene clauum nec remige numine priua,  
Sed tua dum sequitur Germania iussa foueto.  
Saxonicus Thusci sit victor Tybridis Albis.  
Te sic permittente tenet moderamina regni  
Gens antiqua, atavi de stirpe Tuisthonis orta  
Omnia ad interitum magno conamine tendant  
Vsq; licet, penitus Respublica lapsa fatiscat,  
Germani rerum Domini, belloq; priores  
Præcipuas vires tamen atq; negocia tractant  
Hos Deus à rabidis precor hostibus assere tutos.  
Barbara perde Deus fortissime robore regna  
In quibus heu tristes perfert ecclesia turbas.

PRÆ

PRECATIO VT  
DEVS FOECVNDET  
FRVCTVS AGRORVM.


Qvis Deus effusus demittit nubibus imbres  
Quis solet aut siccum rore rigare solum.  
An Iuno dissoluit aquas? an aquosus Orion  
Excitat, in cœli vertice quando micat.  
Vertite mortales, mortales vertite mentes  
Et ne vos adeo deuius error agat.  
Non alius nobis pluuia succurrere nouit  
Non alius spisso gramina rore fouet.  
Quam Deus, in gnato qui nostri monstrat amore  
Flamine cumq; sacro, qui bona cuncta fouet.  
Solutus humanæ vitæ quibus indiget usus  
Impendit, bonitas huius & auget opes.  
Solutus hic & generat flores & gramina campi  
Hic ferat utq; æstus spicea ferta facit.  
Hac genus antiqua se scindit origine nostrum  
Cum nihil essemus solus hic esse dedit.  
At quoniam vitæ spiracula viuida nostræ  
Indidit & nostri corporis ossa dedit?  
Congrua cur vitæ nobis alimenta negaret  
Cur terræ varias parturientis opes?  
Non negat, imo manu bona cuncta ministrat aperta  
Hæc quoties hominum sedula vota petunt.  
Promptior impertit communia commoda nobis  
Quam titubans hominum lingua requirat opem.  
Ergo



Ergo Deus cum sit tibi res curare voluptas  
Humanas, & nunc mitis adesse velis.  
Ecce quot hæc rapidis agitetur vita procellis  
Ecce quot accumulent multa pericla iugum.  
Res angusta domi fera multos angit egestas  
Dira fames regnat vix caritura modo.  
Omnia iam magno constant quæ postulat vsus  
Nec tamen est aliquis, qui mala tanta leuet.  
Tu nisi qui miseris nosti succurrere rebus,  
Nulla venit nobis te nisi dante salus.  
Ex te namq; redit victus mortalibus ægris  
Corpora tu lætis viribus esse facis.  
Culta quod exhilaret prouentu terra colonos,  
Quod fructum multo foenore reddat ager.  
Hoc opus omne tuum tu das alimenta creatis  
Deq; tua spirant cuncta creata manu.  
Imbribus humectas terram ventosq; resoluis  
Lætâq; in apricis collibus arua foues.  
Ergo frugiparos calor igneus vrat agellos  
Quando riges pluuijs arida quæso tuis.  
Et tua distillent pingues vestigia succos,  
Sic varias fruges proferet omnis ager.  
Sic lætæ segetes, sic arida facta virescent  
Imbre feret fructus ebria terra suos.  
Omnia tunc læto sustollent iubila plausu  
Testantes largi munera larga Dei.









Q 2326

ULB Halle


3

004 971 035



m.c





H Y M N I D E  
C A S T I S A N  
G E L I S , F A C T I

2438

A

I A C O B O G E R D  
C O Q V E L L E N B V R  
G E N S I



M A G D E B V R G I  
E X C V D E B A T A N D R E  
A S G E H E N , A N N O  
1 5 7 9

